

Die Traditionen des Hochstifts Freising (Ed. Bitterauf), Nr. 671

In dei nomine. Placuit atque convenit inter venerabilem virum Erchanbertum Frigisingensis ecclesiae episcopum necnon et quendam nobilem virum nomine Hittonem, ut aliquas res pro communi utilitate et compendio inter se commutare deberent quod ita et fecerunt. Dedit itaque Erchanbertus episcopus ex ratione prefatae ecclesiae suae una cum consensu et conhibentia canonicorum et monachorum aliorumque fidelium in ipsa ecclesia degentium etiam et per licentiam domni Hludouuici regis eidem Hittone ad suum proprium ad habendum in loco qui dicitur ad Puanteshusun in monte constituto loco ecclesiam et curtem cum domo et pomerio et â foris de terra arabili iornales CXXIII et de pratis ubi colligi possunt carradas XV et de silvae confiniis iornales VIII ad hunc locum pertinentem, hoc totum et integrum cum omni vestitura tali quod predictum est sicut ad ipsam sedem pertinere dinoscitur. Et econtra in reconpensationem huius rei dedit memoratus Hitto laicus ex suo proprio supradicto Erchanberto episcopo et advocato suo Piligrimo ad partem monasterii sui in villa quae dicitur Cuncinhusir prope fluvio Mosaha curtem cum domo et curtiferum unum et talem partem sicut in ipsa ecclesiastica ré in ipso loco habere debuisset et á foris de terra arabili preter ecclesiasticam rém iornales C et III et de pratis ubi colligi possunt carradas C et de terminis silvae iornales C cum farinariis et cum omnibus ad sê pertinentibus firmiter condonavit. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas inter se fieri rogaverunt per quas deinceps unusquisque quod ab altero accepit teneat atque possideat et quicquid exinde ob commoditatem sui facere vel iudicare voluerit liberam in omnibus habeat potestatem faciendi. Et taliter inter eos convenit et si fuerit post hunc diem ullus ex ipsis aut alia quaelibet obposita vel emissa persona quae contra hanc commutationem de qua duae cartulae pari firmitate conscriptae esse videntur, venire temptaverit aut eam infringere conatus fuerit, inferat parti contra quem litem intulerit distringente fisco auri libras II, multa componat et sua repetitio nullum optineat effectum, sed presens commutatio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa. Hoc factum est ad Frigisingas anno incarnationis domini DCCCXLV. indictione octava in V. id. april. Et isti sunt qui in ipsa domo hanc commutationem peractam viderunt: Ûodalpald presbiter et monachus. Gozroh presbiter et monachus. Sindmar presbiter et monachus. Herolf presbiter. Amalrih presbiter. Rihperht presbiter. Adalgarius diaconus et propositus. Absalon diaconus. Kernod diaconus. Undieo diaconus. Hartperht presbiter. Arnolt diaconus. Piligrim advocatus laicus. Reginperht laicus. Ôtperht laicus. Riholf laicus. Uuillihart. Immino. Kartheri. Erkanperht. Anthelm. Makelm. Hitto clericus. Hartuuih clericus. Culping clericus et alii sine numero. Ego indignus presbiter Gozroh hâs commutationes peractas videns et audiens scripsi et subscripsi.